

- tur detrimentum, & innobedientia majorum grave scandalum facit, ut minores deterius ruant.
- 19 De Negligentia in servando Voto Castitatis non plura contexam, nisi quod Virginalis Castitas, & cordis munditia Thefaurus est, & sicuti Thefaurus diligentissime custodiendus est, ne latrones rapiant; ita & præciosissima cordis puritas diligentissime custodienda est, quia de facili concupiscentiis, & inhonestis delectationibus deperditur, ad quos sensus auditus, & visus de facili lenocinantur; Caveant autem ne legant libros, qui multoties sub specie tractandi moralia, & de speciebus luxuriae disceptant, plura docent, quæ corda inficiunt, utile enim esset, & desiderabile, quod talis libri vulgari Sermone non ederentur; & quæ scribo praxis suppeditavit.
- 20 Sicuti etiam curiosæ quædam Investigationes, & Confabulationes Monialium corda commaculant, ac perutile esset, ut diligentissime Sanctis. Episcopi curarent ne in Monasteria Monialium, pueruli masculi intrmitterentur, sicuti in aliquibus locis usus, seu abusus de facto inolevit contra declarationem Sacre Congregationis relata à Barbosa in *Collectanea Apostolicarum decis. collect.* 508. num. 4., ubi quod intra Monialium Clausuram non possunt intrare Pueri, & puellæ cujuscunque ætatis, quam declarationem aliqui perperam interpretantur de majoribus Septenio, nam tunc ex alio capite prohibentur.
- 21 Utrum negligentia Monialium in recitando Divinum Officium extra Chorum sit culpabilis mortaliter, quæstio est satis agitata; Dixi *extra Chorum*, quia in Choro communiter recipitur pro certo, extra Chorum verò ex quo nulla lege reperitur præceptum apud Doctores inquisitum est, an teneantur, & undè tantum onus subortum sit, & certo communior est D.D. Sententia, eas teneri sub mortali, non tamen eodem fundamento omnes, plures enim dicunt teneri sub mortali ex consuetudine introducta tali sub obligatione; quam consuetudinem nititur probare Sanchez, ex quo dicit ipse timorati, & Docti communiter sic judicant, & damnant Contrariū facientes, ita in *opuscul. lib. 7. c. 2. dub. 3. num. 6.*, ubi loquitur de Monachis profes-

- sis, & Choro deputatis; sed nu. 12. idem prorsus asserit dicendum de Monialibus professis ad Chorum, ita & P.P. *Salmaticenses tom. 4. tit. de horis Canonicis c. 2. p. 2.*
- 22 *Reginald. lib. 18. nu. 140.*, dicit quod tot eam consuetudinem testantur, ut *temerarium* sit eam negare, quod est eam probare ab auctoritate testantium; Notandum tamen, quod *ipsemet Reginald. in Vers. ex qua Sententia*, subinfert, non esse quemquam ex Religiosis ad Chorum deputatis facile excusandum à privata recitatione horarum Canonicarum, quando non recitant eas cum cæteris in Choro, quia in eo aperitur janua ad quærendas occasiones, quibus absint à Choro, atque ad eam omittendi omnino recitationem ipsam, ex quibus verbis apparet, quod extra Chorum non sit asserta consuetudo recitandi horas Canonicas sub mortali obligatoria, sed solum quod facile non sit excusandus, vel excusanda, ne arripiant occasionem facilis absentiae à Choro, undè sublatâ hac malitia non assignat in quo culpentur.
- 23 *Tamburin. de Jure Abbatissarum disp. 15. q. 1. nu. 8.* relatis Sententiis affirmantium, & negantium, *Vers. sed hæc Sententia*, loquendo de negativa, ait, *videtur hodie ab omnibus rejecta, cum sit praxi contraria, & regulari observantia dissona*, idè dicit, quod communior, & melior opinio est affirmativa, dummodo sit consuetudo jam introducta; per quæ ultima verba constat, quod non solum non probat consuetudinem, sed eam ponit sub conditione, nam dictio dummodo conditionem importat quando adicitur dispositioni, non autem executioni ad allegata per *Barbosam dictione 95. n. 6.*, unde non urget, conditione non verificata, *l. Si quis sub conditione ff., Si quis omissa Causa.*
- 24 *Roderic. qq. Regul. tom. 1. q. 42. art. 20.*, *Vers. advertendum tamen*, ait, *Advertendum tamen pro explicatione, quod loquor de Monialibus privatim Divinum Officium recitantibus, nam in Communitate non est dubium eas ex consuetudine Ecclesiastica ad id obligari* ex quibus colligo saltem habere pro dubio utrum extra Chorum obligentur sub mortali.
- 25 Novissime fufus examinat hanc difficultatem doctus Pater *Franciscus Bardi, è Societate Jesu in selectis moralibus lib. 8. q. 1.*, ubi

- ubi attentè allegat Sectatores hujus sententiæ affirmativæ, nempè ex societate num. 24., ex alienis dicit ascendere ad numerum 70., immò refert per extensum epistolam pastorem Episcopi Panormitani, cujus jussu articulum discussit, declarantis, Moniales sibi subiectas teneri ex consuetudine in sua Diocesi introducta, & invalescente sub mortali, suadetque eas Moniales nullam præstare fidem pleudotheologis contrarium asserentibus.
- 26 Alteram sententiam negantem hanc obligationem in Monialibus recitandi extra Chorum horas canonicas sub mortali sequuntur, *Medina, Caramuel, Petrus Marcantius tribunali sacramentale tom. 2. trac. 2. p. 3. tit. 1. q. 1.*, *Bordon. resol. 30. q. 2.*, *Martin à S. Joseph. in Monit. Confess. tom. 1. lib. 1. de ordin. tract. 10. num. 3.*, *Machad. tom. 2. lib. 5. p. 2. docum. p.*, *Cajetanus in summa V. horæ Canonice initio, Aragonius in secunda secundæ D. Thomæ q. 83. art. 12. Vers. explicatis jam duob.*, *Alphonsus de Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 8. allegati à Diana in pluribus resolutionibus, nempè p. 2. tract. de horis Canonic. resol. 17. p. 3. tract. de dubiis regul. resol. 96. p. 6. tract. 8. resol. 12. p. 7. tract. 11. resol. 4. Vers. (non desinam) part. 9. tract. 6. resol. 7. p. 10. tract. 11. resol. 45.*, quibus in locis ipse semper sequitur partem affirmativam, dixitque sibi displicere, quod Bordonus sequutus sit sententiam negativam, profitetur tamen se abstinere à quocumque censura contra sententiam negativam, & modestia pari ac sapientia, & prudentia loquitur, alios allegat *Salmaticenses dicto puncto 2. num. 17.*
- 27 Certum est, quod si insipiam numerum Doctorum, longè probabilior ab extrinseco est sententia affirmativa; Verum quia mihi videtur nimis excessivè eos, qui ausi sunt dicere, quod negantes consuetudinem obligatoriam Monialium ad privatam recitationem sub peccato mortali, temere, & improbabiler negarint, ad vindicandos eos à tanta censura, placuit sequentia adnotare.
- 28 Primò Noto, quod significata dictionis (temerè) nullatenus verificantur in Doctoribus assertam consuetudinem negantibus, sive dicamus, quod temerè idem sit, ac scienter veritati contradicere, ut notat *Cardinal. Zabarella in Clem. 1. §. si quis. No-*
- ta. 1. de statu Monachorum*, sive idem importet, ac superbè, & cum contemptu, ac sine ratione, & fundamento, ut explicat *D. Thomas 2. 2. q. 53. art. 3. ad secundum*, sive præcipitanter, ut *ibidem D. Thomas*, sive importat inconsultè, fatuè, stultè, ut notat *Monachus in c. 1. num. 12. de sent. excomm. in 6.*, ubi *Joa. Andr. num. 5.*, *Menoch. Consil. 145. num. 9.*, sive temerè sumatur ac casu, & fortuito sine debita advertentia, ut post plures notat *Barbosa de dictionibus dict. 404. per totum*, sive importat factum contra auctoritatem Principis, sive alterius Superioris contrarium præcipientis, ac declarantis &c., ut colligitur ex *cap. 2. de Juditiis*, ubi quod idem ac præsumere, *Felin. in rubrica de præsump.*, sive importet, ac dolosè, *Grassi decis. aure lib. 1. c. 13. nu. 72.*, *Sanchez. de Matrimonio lib. 9. disp. 32. num. 38.*, *Lotter de rebenesc. lib. 2. q. 14. num. 54.*, & *lib. 1. q. 29. num. 8.*
- Quis unquam sibi suadere potest prudenter, quod Doctores sectatores secundæ sententiæ, negantes eam consuetudinem religiosissimi, prudentes, docti, veritatis amatores, & nullum interessè habentes, nisi dirigendi fidelium conscientias ad virtutem, in præfatis sensibus sint loqui, temerè contra veritatem cognitam, dolosè, fatuè præcipitanter &c., absit hoc cogitare, & puto indignum hoc dicere, ac valde injuriosum, dum *Rota coram Cerro decis. 708. num. 8.*, dicit eis fidem habendam.
- 29 Noto secundò, quod si sensus illorum, qui dicunt temerè negari hanc consuetudinem, sit dicere temerè, idèst contra communem Doctorum Theologorum sententiam.
- 30 Ut videamus, an in hoc sensu Doctores negantes consuetudinem hanc, mererentur notari tanta censura, necesse esset singulorum dicta dignoscere, quos omnes non habeo ad manus, plures tamen, & pro majori numero attentius percurri, & certo non omnes assertores primæ sententiæ affirmantes, Moniales teneri sub mortali recitare privatim, & extra Chorum horas canonicas, fundantur in consuetudine, quin immò de ea plures nihil meminerint, sed vel fundantur in religiosa professione, vel in Jure naturali divino, vel in regula, vel in præce-

- pto, & canone, vel in quasi contractu, idest & receptione elemosinarum, quorū fundamenta refert, & reffellit Suarez, Reginald., Bardi, aliique, unde negantes hanc consuetudinem non loquuntur contra istorum auctoritatē, qui non asserunt hanc consuetudinem, nec in ea se fundant, quales sunt Sylvester, qui pro fundamento asserit professionem religiosam *V. bore canonice q. 2. d. 6.*, Turrecremata *S. 1. dist. 91. num. 15.*, qui dicit teneri Moniales, quia sustentantur de bonis Ecclesiæ, Angelus *V. bore canonice sub num. 3.*, dicit obligari ex professione, vel voto,
- 31 *Rodriguez summa cap. 141. nu. 12.*, & *Roderic. de Regular. tom. 1. q. 42. art. 20.*, dicunt teneri ratione status regularis, *Nava*, & *D. Antonius* fundantur in hoc, quod Religiosi sint ab Ecclesia recepti ad vitam contemplativam, ut orent prouersali Ecclesia, & pro modo orandi principaliter instituit horas canonicas.
- 32 *Grassius fundatur in c. finali dist. 92. Vers. Deputatus*, ut ipse ait *p. 1. decis. aurearum lib. 2. c. 50. num. 7.*, *Zerola* nullum asserit fundamentum, sed se remittit ad *Sylvestrum* loco præ allegato, qui non fundatur in consuetudine, nec de ea meminit.
- 33 *Raguz de officio Canonicorum in Choro cap. 12. num. 2.*, loquitur cum dictione, vel id est, quod Moniales teneantur, vel Jure divino, vel Ecclesiæ, vel Consuetudine, quare non asserit certò talem Consuetudinem esse, quia dicitio, vel importat ambiguitatem, *Angel. Consil. 94. num. 5. Vers. Illamenim*, *Tusch. littera D. concl. 244. num. 6.*, *Barbosa de dictionibus dist. 415. nu. 11.*, ita loquitur pariter *Lessius de Just. lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 45.*
- 34 *Portellus de dubiis Regularium V. bore canonice nu. 2.*, asserit pro fundamento statum religiosum irrevocabilem, *Lezana p. 1. cap. 12. num. 3.*, loquitur dubitativè (*si adsit consuetudo*) dicitio (*si*) rem dubiam facit, *Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 28. n. 4.*, & conditionem facit *ad tex. in l. p. ff. de condit. & demonstrat.*, qui autem loquitur sub conditione nihil affirmat, nisi prius verificata conditione, *Surd. de alim. tit. 9. q. 16. num. 55.*, ita ut, qui dicit conditionem verificari, debeat ipsam probare, *Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 181.*, *Paris de resignatione benefic. lib.*

- 1. q. 3. num. 40.*, & *lib. 10. q. 3. num. 17.*, ita *Tamburin. de Jure Abbatiss. disp. 1. num. 8.* dicit, dummodo adsit Consuetudo dictio dummodo, similiter conditionem importat verificandam, quia adiecta est dispositioni, *Seraphin. decis. 1017.*, & quia apponitur facto explicando per tertium, *Gabriel. Consil. 59. num. 1. lib. 1.*
- 35 *Belarmin. controvers. tom. 4. lib. 1. de bonis operibus c. 19.*, inducit Clericorum obligationem, tum ex decretis conciliaribus, tum Jure divino, forma tamen data à Jure positivo, nec quidquam meminit de consuetudine, & ita plures alii loquuntur, quare istorum auctoritas nihil facit ad hoc, ut negantes consuetudinem asserant, debeant notari tam ignominiosa censura *temeritatis*, nec sequitur, quod negantes hanc consuetudinem loquantur contra istorum Doctorum auctoritates, ergo non contra omnes.
- 36 Tertio Noto, quod ex Assertoribus consuetudinis, de qua agimus, Auctoritas *P. Pellizarii* nullius est momenti, ex quo decreto Pontificis opera tam de Monialibus, quam manuale Regularium fuerunt prohibita absolute, reliqui autem omnes supponunt consuetudinem, sed non probant, neque eorum annuntiativa ullius est momenti, dum agitur principaliter de probando enuntiatum, *Ottob. decis. 227. num. 10. 11.*, *Merlin. decis. 318. num. 14.*, *dec. 405. num. 4.*, *decis. 573. num. 6.*, & *recent. p. 6. decis. 188. num. 7.*, & *Rota impressa post Roderic. de annuis reddit. decis. 47. num. 12.*, & apud *Tambur. de Jure Abbatum decis. 47. num. 8. tom. 3.*, & inter novissimas collectas, per *Farinac. decis. 166.*, *Passer. tract. de enuntiativis lib. 1. q. 4. num. 1. 2. 3.*
- Et si dixeris non esse simplices enuntiativas, sed testificationes Doctorum, & sapientum, qui tamquam testes omniconceptione majores plene probant.
- 37 Verum neque uti testes probant consuetudinem, quia consuetudo est quid facti, & per multiplicata facta componitur, unde ad probandam consuetudinem necesse est, quod testes deponant de istis multiplicatis actibus cum suis circumstantiis *cap. 1. de Constitutibus in 6.*, ubi *Barbosa nu. 7.* & parum prodest, quod sint testes satis in Doctrinis versati, quia dum consuetudo

- consistit in factis, non in doctrinis, nec in libris, Doctores non sunt meliores testes, quam non Doctores, qui possint de factis cum suis circumstantiis deponere ad allegata per *Mascard. de probat. concl. 426. num. 4. 5. 6.*, ubi *num. 7.*, quod Doctores asserenti de Consuetudine non creditur, nisi probet allegando facta, alioquin si velit probare consuetudinem dicendo, est consuetudo, bene intelligenti patebit esse petitionem principii, ac propterea Doctores asserenti consuetudinem pro constanti, *Rota* negavit fidem esse habendam, *Coccin. decis. 123. num. 27.*, *Cerro decis. 551. num. 11.*
- 38 Tum quia Doctores testificanti de aliqua consuetudine, solum tunc creditur, quando est moratus in loco de quo testificatur, *Rota coram Pirovano in Ferrariens. Canonice tu decis. 530. p. 4. tom. 3. recent.*, *Farinac. repert. Judiciali q. 14. num. 55.*, alias non creditur, nisi quatenus probet *Can. Ego solis dist. 9.*, *Ansaldo. de Jurisd. p. 2. tit. 11. cap. 20. num. 6.*, *Cartar. decis. 82. nu. 22.*, deberent ergo Doctores testificantes de hac Consuetudine testificari pariter coarctando eam ad locum in quo sint versati, & deponere de causa scientiæ, puta quia sic viderunt pluries practicari, & cum circumstantia, quod Moniales omittentes recitationem existimarent se peccare mortaliter propter hanc consuetudinem, quod cum Doctores non dicant nihil probant, non est ergo *temerarium* negare consuetudinem, quæ non probatur, nec præsumitur.
- 39 Hinc advertat velim Pater Bardi, quod in Epistola Sanctissimi Præsulis Panormitani, apud ipsum impressa testificatur hanc consuetudinem communiter practicari in ea diocesi, & sibi innotescere per diligentias factas, unde coarctat se ad locum, & ad facta, deinde ea epistola publicatur per modum sententiæ præcipientis, cui standum est tamquam assertioni Judicis bene informati per præcedentes quæstas informationes, non sic asserta Doctorum.
- 40 Neque dicatur, quod asserta Doctorum, quo ad istam consuetudinem habeant vim sententiæ judicialis, quia Judex potest solum exercere iudicium in subditos, Doctores verò scripserunt, ut instruant omnes etiam non subditos.
- 41 Tum quia consuetudo obligatoria ad mortale, ut prætenditur, debet tamquam onerosa interpretari strictissime, nec debet extendi de loco ad locum, ut dixit *Rota coram Cerro decis. 551. num. 9.*, *Ottobon. decis. 149. nu. 14. 15.*, & probat *Mascard. de probat. concl. 423. nu. 12. 13.*, ideoque dato, quod ista consuetudo sit Panormi non sequitur, quod scitè, & prudenter possit dici, certo hanc esse universalem in toto Orbe Christiano, & obligare ubique indefinite Moniales, ut ausi sunt dicere aliqui.
- 42 Ex quibus sequitur, quod utraque sententia possit habere veritatem, nempe respectu diversorum Locorum, & Provinciarum, sic in Civitatibus in quibus versati erant Doctores, qui asserunt consuetudinem, in iis posse verificari; in locis verò in quibus versabantur negantes in eis non extitisse, neque extare talem consuetudinem, quæ satis superque sufficiunt, ut negantes hanc consuetudinem non possint, & minus debeant nota *temeritatis* damnare.
- 43 Neque relevaret affirmantes, si dicerent, hanc consuetudinem esse notoriam, ac propterea non esse probandam, ad allegata per *Mascard. de probat. concl. 423. num. 27.*, Nam notorium non est, quod aliqua tergiversatione celari potest, *cap. Cum olim de verb. signific. c. evidentia de accusat.*, hæc autem Consuetudo, adhuc ubi reperiretur tergiversatione celari potest, dicendo pro ut Auctores secundæ sententiæ dicunt, Moniales extra Chorum recitare horas canonicas majoris devotionis gratia, & tamquam opus supererogationis, non autem sub onere peccati mortalis, eo modo quo Quadragesimali tempore, psalmi Graduales, & Penitentiales, atque officium mortuorum, quæ in Choro ex obligatione recitanda sunt, extra Chorum per aliquos etiam recitantur, tamquam opus supererogationis, & non sub obligatione, adeoque si Auctores primæ sententiæ volunt probare intentum, necesse est, quod probent Moniales extra Chorum recitantes horas canonicas, eas recitent sub onere peccati mortalis, & asserre causam scientiæ, quam nemo asserit, immò plures Moniales constanter asserunt, se non ex obligatione recitare.
- 44 Atque notorium dici nequit, quod ab aliquibus, aut negatur absolute, aut in dubium